



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlvm Vlt. Quamuis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

CAPITVLVM XIV.

Cùm sit.

Eos qui ad Sacerdotium promouendi sunt, Episcopus per se, vel per alios diligenter instituere debet in diuinorum officiorum celebratione, & sacramentorum administratione. Sanctus enim est, paucos habere bonos & idoneos, quam multos malos aut imperitos Ministros. Ita Innoc. III. in Concil. I. Lateranensi c. 27.

Loquitur autem de ijs ad sacerdotium ordinandis, qui ad curam animarum promouendi sunt: hi enim magis exercitati, & in Ecclesiasticis rebus versati esse deberent, iuxta c. 1. & seqq. d. 38.

CAPITVLVM VI.

Quamuis.

PARAPHRASIS.

Multa contra Episcopum Calinensem, eoram Innoc. III. obiecta fuerunt. Sed id vnicum ad eius depositionem sufficere debet, quod ipse et confessus, se Grammaticam nunquam didicisse, nec legisse Donatum: & adeo notorium existit, eum prorsus illiteratum esse, vt contra Deum & sanctos Canones fieret, si in officio Episcopali toleraretur, ideo Pontifex illum penitus ab executione officij Pontificalis, & administratione Ecclesie Calinensis amouendum esse decreuit.

SYMMARIUM.

1. Defectus debita scientia reddit irritam electionem Episcopi.
2. Etiam Abbas, qua neque à Superiore confirmanda est; & si confirmata sit, rescindi ab eodem potest.

NOTANDVM Vn. Si illiteratus in Episcopum promouatur, irrita est promotio, atque remoueri potest. Sed distin-

gui debet; vtrum omnino illiteratus sit, tunc spectato iure naturali, adeoque in conscientia resignare tenetur. An vero non omnino illiteratus, sed non sufficienter doctus, qui tamen doctrinam intra tempus non longum acquirere possit. Tunc rescindi quidem posset electio, aut promotio, tanquam contra canones: donec tamen rescipatur, tutus est in conscientia electus, aut promotus.

QVÆRIT hinc Anton. Butrio; Si electus aut promotus in Episcopum Grammaticæ artē nunquam didicerit, sed vsu latinam linguā comprehendit, vtrum tolerari possit, si alioquin prudens, & idoneus sit. Et bene respondet affirmando.

Iterum quærit; Si Abbas electus & institutus Grammaticam, atque linguam latinam nescire deprehendatur, vtrum deponi debeat, si alioquin in regula versatus, & prudens sit. Negat Butrio: Quia in Abbate magis requiritur prudentia, quam doctrina: Et olim Abbates laici erant, vt colligitur ex c. à Subdiacono, d. 93. Sed bene monet Gl. ibi v. Abbas: Quod hodie Abbates in magno honore sint in Ecclesia, atque clericis secularibus præferantur: quare opus esse videtur, vt etiam scientiâ præditi sint. Accedit, quod in cit. c. cum in cunctis, ad omnem dignitatem, quæ curam animarum annexam habet, scientia requiritur: Et in c. 1. hoc ita præcipitur, vt Abbates, si Presbyteri non sint, fiant.

Dico itaque, Electionem Abbatis, qui scientiâ caret, quæ ad sacerdotem, etiam curam & in dignitate constitutum requiritur, irrita esse, neque confirmandam à Superiore, Quod si confirmata sit, Superior ius habet eam rescindendi, tanquam contra canones factam. Interim verum est, quod in Abbatibus non tanta requiritur doctrina, quanta in Episcopis. Deinde si Abbas non omnino illiteratus, sed non sufficienter doctus sit, potest in prælatura permanere, si Superior eum toleret; eo modo proportionali, sic-

vti supra de Episcopo dictum est.

C A P I -